OFFICIUM DE TEMPORE.

Omnia quæ in Officio de Tempore propriis locis non sunt signata dicenda sunt secundum quod supra in Psalterio, vel infra, Dominica j. post Oct. Epiphaniæ, notatum est.

SABBATO ANTE DOM. I. ADVENTUS.

Sabbato ante Dominicam j. Adventus, Tabella Chori index in parte dextera Chori debet locari, subinde per totum annum, singulis Sabbatis, ab una parte ad aliam alternatim ante Vesperas transferenda.

Capitulum. Jerem. 23.

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum † et regnábit rex, et sápiens erit : et fáciet judícium et justítiam in terra.

Responsorium vij. toni.